

mnium, quæ in scientiâ traduntur. Itaque definitio & distributio ex illo sumptæ, sunt adæquatæ; proinde omnibus numeris absolutæ.

Cap. 5. Methodus analytica.

Methodus
analytica.

Methodus analytica est methodus universalis, quâ ita disponuntur partes cujusq; disciplinæ operatricis, ut procedatur à fine ad principia seu media, per quæ ad finem illum pervenitur (*seu, per quæ finis in subjectum introduci potest*) ut cognitionem ejus ad operationem dirigamus.

Exemplum evidens hujus methodi ab Aristotele proponitur in Ethicis, ubi libro I. à fine, videl. felicitate, progreditur ad subjectum, nempe hominis intellectum & voluntatem, & tandem sequentibus libris tradit media, per quæ finis introduci possit.

Canones ejus sunt:

1 Partes methodi analyticæ tres sunt, finis, subjectum & media.

Finis quidem, quatenus introducendus; subjectum verò, in quod ille finis introduci debet; media denique seu principia, per quæ finis in subjectum introduci potest.

2 Unitas disciplinæ operatricis pēdet ab unitate finis.

Ratio: quia sicut subjectum est fundamentum disciplinæ theoreticæ; ita finis est fundamentum disciplinæ practicæ. Hoc ita patet. Finis est primū operationis principium. Proinde & mēsurā mediorū. Quare cū in disciplinis operatricibus finis ultimus sit operatio; necessum est, ut finis, tanquā mēsurā omnium mediorū, quæ in tali disciplinâ docenda sunt, primo loco cognoscatur. Neq; enim mens nostra posset distinctè cognoscere media, nisi finē eorum, per quem sunt, & sunt, præcognosceret. Itaq; rectè dictū à philosophis: Intellectus operationis (barbari vocant operativū, Græci *πρακτικόν* & *ποιντικόν*) incipit à fine. Et hinc patet, etiā in methodo analyticâ observari progressum ab universalibus ad particularia.

3 In disciplinâ operatrice præcognoscimus finem solummodo & subjectum.

Finis